



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut  
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

**Stoz, Matthäus**

**Anno M.DC.LXXXIX.**

§. 3. De usu notitiæ ex Confessione illicito ob revelationem Sigilli.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37144**

personas, ludos, cibum, potum &c. quæ ex Confessione novit fuisse pœnitenti occasionem peccati, aut damni in bonis corporis, fortuna &c. 5. ut moribus & genio hominum ex Confessione notis se accommodet &c. Coninch. Diff. 9. n. 18. Lug. n. 101. quia ejusmodi usus nec involvit ullum periculum revelationis, ut pono; nec pœnitenti ullum assert ~~in~~commodum, adeoque etiamsi usus iste notitia Confessionis sciatur esse licitus, Sacramentum tamen Pœnitentiae nemini reddit odiosum aut difficilium, quam per se sit.

249. II. Licitum est ulterius etiam uti notitiâ Confessionis ad hoc. 1. ut quis de peccatis ex sola Confessione cognitis concionetur; modò non dicat, sibi ex Confessione esse nota, propter scandalum & periculum revelationis. Fag. Prac. 2. lib. 6. cap. 2. n. 4. vel cœtus, coram quo concionatur, non sit valde parvus. v. g. Novitiorum, Monialium &c. Dian. p. 5. tr. II. Ref. 36. & sup. n. 227. 2. ut, cùm audit homicidam v. g. esse captum, interroget ideo, quis ille sit, quia Cajus non pridem ipsi confessus est homicidium: modò tamen ita cautè interroget, ut Cajum non reddat suspicuum, vel aliter incommodando lœdat. Vide Gobat tr. 7. à n. 920. 3. Ut pœnitentem interroget de peccato ex sola complicitis Confessione noto: modò illi de hujus Confessione nullam suspicionem moveat. Palao de pœnit. p. 19. §. 3. n. 18. de quo nos sup. n. 104. & 230. Ratio horum est, quia etiam iste usus notitia Confessionis nec revelat sigillum, nec pœnitenti est incommodo. 4. ut Confessarius vel Superior remittat rigorem, cor-

rigat parsimoniam, vel modum suum agendi, quem pœnitenti vel subdito ex sola ejus Confessione novit esse ingratum, etiamsi ille advertat propter confessa sua peccata id fieri. Lug. I.c. Sed ego hunc usum ideo solùm concedo esse licitum, quia pœnitens ipso facto dat licentiam ilius. sup. n. 197. 5. ut signa majoris amoris exhibeat pœnitenti ob ejus innocentiam, ut familiariùs agat cum illo ob ilius erga se confidentiam, vel ob spiritualem ejus indigentiam ex sola Confessione notam. Lugo n. 102. Tamb. de Conf. lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 2. & sequitur Gobat. Sed neque hæc admitto, nisi pœnitens verbo aliquo vel facto ostendat se consentire: quia per hæc Confessarius indicat extra Confessionem se nōsse, que in ea pœnitens manifestavit, & sub sigillum cadunt; ergo non sunt tantum locutio indirecta, ut vult Lug. n. 103, sed etiam sunt aliqua revelatio sigilli, nec possunt fieri sine licentia pœnitentis. Non sufficit autem præsumpta, sed debet esse verbo vel facto expressa. sup. n. 197. Certè experientia constat, non omnes, qui confidenter alicui Confessario gravia sua peccata vel innocentiam manifestant, etiam semper externam ejus benevolentiam vel familiaritatem habere acceptam. Universim autem

### §. III.

*De usu notitiae ex Confessione illicito ob revelationem sigilli.*

250. III. Illicitum est, ut Superior v. g. ob peccatum pœnitentis ex sola ejus Confessione notum fore, per quas iste noctu egrediebatur, obstruat; ut lo-

cum,

cum, in quo peccabat, sibi visiter; ut arcam vel cellam, ex qua surabatur, melius custodiat &c. & quidem non tantum, si haec faciat Superior eo modo, ut alii advertant, vel rationabiliter suscipiantur, propter peccatum confessum fieri, quia sic omnes fatentur revelari sigillum; sed etiam, si faciat eo modo, ut vel solus pœnitens id advertere, aut rationabiliter suspicari possit. Sicut enim aliis, ita etiam ipso pœnitenti sine ejus licentia non possumus ejus peccatum ex sola Confessione notum extra eam illo verbo aut facto indicare. Lug. à n. 95. Dicast. n. 143. & nos sup. n. 193. sive jam talem indicationem vocemus Revelationem sigilli, sive non: quod ad questionem nominis pertinere potest.

Mirum proinde est, quomodo Palao, Tamb. & Coninch mox citandi, aliquae plures, qui hoc ipsum fundamentum nobiscum tenent, fuerint hinc in contrarium abrepti. Certè nil quidquam juvat, quod talis actio Superioris cedat in commodum & salutem spiritualem pœnitentiis, ut putat Palao cit. p. 19. §. 3. m. 18. v. Neque, vel quod non exerceatur singulariter circa ejus personam; vel quod pœnitenti, serio volenti se emendare, non sit ingrata, ut ait Tamb. de Conf. lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 7. vel quod sit tantum impedimentum peccati, & nullius alterius commodi à peccato distincti, ut ait Coninch. Disp. 9. n. 68. & 69. Nam nihilominus adhuc per eam indicatur pœnitentiis suum peccatum ex sola ejus Confessione notum, quod sine ejus expressa licentia non est extra Confessionem licitum. Quod autem Tamb. l.c. & Coninch. cit. n. 69. v. Adde, dicant, Super-

riorem tale quid agendo uti iure suo, jam sup. n. 246. ostendi falsum esse.

Porrò sic discurro. Ejusmodi occasio vel est pœnitenti adhuc periculosa, vel non? si posterius; tunc non est necesse eam removere. Si prius; tunc pœnitens, qui periculum agnoscit, & seriò vult se emendare, libenter & ultrò dabit licentiam removendi eam, quia ad hoc teneatur: cur ergo Superior non petat? Ille autem, qui periculum non agnoscit, vel non seriò vult se emendare, ægerrimè ferret removeri occasionem se invito, ergo id ex sola ejus Confessione facere non licet, aitque ipse Coninch. l.c. consultum esse, in hoc casu petere pœnitentis consensum. Quodsi tamen quandoque alia quædam justa causa interveniat, qua per se sola sufficienter moveri possit ad talem mutationem faciendam, tunc eam ita independenter à Confessione facere non est superiori prohibitum. Expedit autem ad vitandum scandalum, ut illa ipsa causa mutationis pœnitenti quoque innotescat.

251. IV. Ulterius ex eodem fundamento illicitum quoque est 1. ei, quem ex sola Confessione scio indispositum, negare Sacramentum nisi privatim tantum, & à me suo officio, nemine alio praesente, petat v.g. Eucharistiam, Ordines, Assistantiam Matrimonii. Bonac. tom. I. Disp. 5. q. 6. sect. 5. p. 4. n. 17. 2. non ire, cum vocor ad audiendum Confessionem illius, qui vere quem & non tantum facte confiteri mihi solitus est; sed scio, illum nolle, v.g. vitare occasionem proximam peccandi &c. Lug. Disp. 23. n. 117. contra Tamb. l.c. cap. 7. §. 3. n. 15. 3. ab officio, vel loco,

loco ; etiam ad nutum auferibili , amo-  
vere illum , quem scio , in eo male agere .  
Bonac. l.c. n.14. 4. asperiorem in vultu  
aut verbis , vel minus gratum me exhibe-  
re illi , quem scio esse improba vita . Lug.  
n.120. 5. non amplius confiteri illi ,  
quem scio non esse Sacerdotem . Lug.  
n.105. 6. non amplius legere Missam in  
Ecclesia , quam scio esse pollutam . Bo-  
nac. l.c. p.23. Lug. n.124. contra Tamb.  
l.c. §.4. n.17. 7. Famulum , quem scio  
esse furacem , dimittere ex servitio ; 8. ne-  
gare alicui suum gladium vel alia arma  
apud me deposita , quibus scio , quod me  
vel alium sit graviter laesus , &c. si qui-  
dem haec sciam ( NB. ) ex sola pœni-  
tentis Confessione , & sine ejus licentia  
aliquid tale agam & omittam eo modo ,  
ut vel alii , vel saltet ille solus advertat ,  
aut rationabiliter suspicari possit , id à me  
cari vel omittit tantum propter ipsius pec-  
catum mihi confessum . Ratio est , quia  
etsi pœnitenti hinc nullum injustum  
damnnum aut incommodum inferatur ,  
revelatur tamen indirecte sigillum , ut di-  
ctum *sup.193.*

Neque evaderet Confessarius culpam  
revelationis , si furacem suum famulum  
juberet sibi in ipso confessionali , & non  
dum absoluta Confessione clavem red-  
dere , vel luxuriosum domo excedere &c.  
Nam iusso haec est actus Confessioni  
prositus extraneus , cum non sit pœnitentia ,  
aut correctio ad forum internum  
spectans . Lug. n.123. ergo censetur  
Confessionem interrumpere , & extra eam  
fieri : adeoque jam etiam extra eam pœni-  
tentia suum peccatum inculcatur ; quod  
est contra sigillum . Quodsi tamen fa-  
mulus ad vitandam occasionem v.g. lu-

xuriæ jam per se obligatus esset donto mi-  
grare ; tunè Confessarius posset illum de  
hac obligatione monere in Confessione ,  
quia monitio ista spectat ad forum inter-  
num , & ad abolutionem dignè percipien-  
dam : postea autem si famulus omittat  
obligationi suæ & monitioni satisfacere ,  
non potest Confessarius eum extra Con-  
fessionem ulterius urgere sine licentia  
priùs obtenta .

252. Rechè verò Lugo *cit. n.105.* pro  
casu metaphysico habet , quod putauit  
aliquis Confessarius mihi confiteatur , se  
non esse sacerdotem , & nolit mihi dare  
licentiam alteri confitendi ; uti & quod  
ille , qui se iò vult me spoliare , & occi-  
dere ; vel qui vinum , à me intra velex-  
tra Missam lumendum , inficit veneno  
&c. hoc ipsum mihi verè , hoc est , cum  
animo se accusandi confiteatur ; vel cer-  
tè non simul etiam malam voluntatem  
eousque saltem remittat , ut porestatem  
faciat , mihi necessariis modis & mediis  
malo cavendi . Facilius fieri potest , ut  
ex pluribus , de mea cæde vel spoliatione  
conjuratis , unus pœnitentiā ductus id mi-  
hi verè , & cum dolore confiteatur ; li-  
centiam autem utendi hâc notitiâ non  
det , nec dare velit , aut possit , nisi eatenus ,  
ut complices ne à longe quidem adver-  
tere queant , se ab ipso esse proditos ,  
cum alioqui sit certò ab illis occiden-  
dus .

Dato ergo aliquo tali casu , sivejam  
moraliter possibili , sive impossibili , tunc  
omnino tenerur Confessarius omnia po-  
tiùs pericula , & mille mortes subire , quam  
sine licentia pœnitentis ullo verbo velfa-  
cto extra Confessionem facere ipsi , vel  
aliis indicium aliquid peccati , ex lola ejus  
Con-

**ART. V. De Obligatione ad Sigillum. SECT. V. De usu notitia Confess. &c. 151**

Confessione noti. Lugo. n. 110. Dicast. n. 157. Dian. p. 5. tr. 11. Ref. 46. cum Suar. Richard. Navar. Soto. Ledesma & aliis apud ipsos, & apud Fag. Prac. 2. lib. 6. cap. 2. n. 5. v. contrarium, quia nullum est tam grave malum temporale vel spirituale, quod præponderet fractioni sigilli, teste Bonac. l.c. n. 18. & aliis sup. n. 190. Et verò quid facturus esset, vel fuisse Confessarius, si Sacramentum Pœnitentiae non fuisset à Christo institutum? si homo iste non accessisset illum pro Confessione? vel in confessione malum illud suum propositum reticuisse? Sicut ergo tunc omnium ignarus non potuisset sibi ipse cavere, sed debuisse se, suaque Providentiae divinae permittere; ita & nunc sub protectione DEI Cæli commoretur; Ps. 90. sine cuius nutu ne unus quidem ex duobus passeribus, qui uno asse vaneunt, cadet super terram; Matth. 10. v. 29. Quique ad nos contra omnia adversa roborandos: Nolite timere, inquit ibid. v. 31. multis passeribus meliores estis vos; & Lnc. 21. v. 18. capillus (quos omnes in numerato habet) non peribit de capite vestro.

Quodsi Confessarius sit eo tempore in statu peccati mortalis, neque habeat copiam alteri confitendi; tunc eliciat, vel conetur elicere perfectam contritionem, & certò credat, vel DEUM adsuturum auxilio, vel si pro observantia sigilli Sacramentalis à DEO præcepti mori contingat, se moriturum in charitate & gratia DEI; cùm majorem dilectionem nemo habeat, quam ut animam suam ponat pro amicis suis. Joan. 15. v. 13. Sacramentum quoque Eucharistie, si forte tunc in Missa sumendum sit, facere

R. P. Stoz Trib. Pœnit. Lib. II.

possit ex attrito contritum. Dian. cit. Ref. 46.

253. Aliter quoad prædicta n. 251. & seq. sentit Coninch. Disp. 9. à n. 33. Bonac. l.c. à n. 27. Laym. lib. 5. tr. 6. cap. 14. n. 21. Palao cit. §. 3. n. 18. Tamb. de conf. lib. 5. cap. 6. §. 1. n. 4. cum multis aliis apud Fagund. l.c. cap. 2. n. 2. iisque etiam ipse ibid. & cap. 3. n. 1. adhæret, quamvis ceteroqui sit rigidus sigilli propugnator. Iste ergo docent, Confessarium licet posse in memoratis casibus non amplius confiteri fidelio sacerdoti, posse non exire domo, posse aliam viam inire, sibi associare defensores, omittere celebrationem Missæ, posse fugere, &c. quæsito tamen aliquo colore, prætextâ alia curâ, &c. Negant enim talē Confessarii actionem, vel omissionem esse directam vel indirectam revelationem peccati, eò quod

1. Confessarius utatur hīc jure suo.
2. quod ejusmodi ejus actio vel omission per se & secundum se non sit revelativa peccati confessi, sed sit indifferens, possit que fieri ex variis aliis causis. Fag. cit. n. 5. adeoque 3. quod alii complices pertalem Confessarii actionem tantum cognoscant pœnitentis Confessionem, non item ejus peccatum, cùm hoc jam antè alieno te sciant. Coninch. l.c. & 4. quod inde nullus pudor, confusio, damnum, aut Sacramenti horror inferatur pœnitenti; cùm omnia sub alio prætextu & causa agantur.

Sed hæc planè non videntur magni momenti. Ad primum patet responsio ex n. 246. v. Rationes. Ad secundum Resp. actionem Confessarii esse quidem secundum se indifferentem; hīc & nunc tamen in istis circumstantiis indicare sat's

U

pec-

peccatum confessum; atque hoc sufficiere ad indirectam revelationem constat ex dictis *sup. n. 192.* Ad tertium Resp. quod ex fuga Confessarii latrones immediate cognosant, eam fieri propter suam machinationem mortis; & quia vident eam non potuisse ipsis aliunde innotuisse, colligunt aliquem ex complicibus in Confessione indicasse; ergo per fugam vel aliam similem actionem Confessarii non tantum indicatur latronibus, Confessionem esse factam à complice; sed etiam & præcipue ipsum peccatum, ab eo & illis commissum per voluntatem occidenti. *Lug. l.c. n. 113.* Ad quartum Resp. Pœnitentem utique graviter pudefieri, si sua peccata ipsis, vel aliis extra Confessionem sine expressa ejus licentia aliquo modo indicentur; in ultimo autem casu etiam periculum vitæ illi imminere. Neque color, prætextus, aut causa aliqua quæ sita juvare potest, si adhuc vel pœnitens, vel alii rationabiliter suspicari possint, causam esse tantum propter peccatum, ex sola Confessione notum, quæ sitam. Vide *inf. n. 255.*

#### §. IV.

*De usu notitia ex Confessione illico  
ob gubernationem.*

254. V. Illicitum est , ut superior re-  
gularis ob peccata subditorum , ex sola  
eorum Confessione nota , statuat novas  
aliquas leges & regulas , aut faciat no-  
vum aliquem casum reservatum , etiam se-  
cluso omni revelationis periculo . Ne-  
gant hoc quidem aliqui apud Fag. cit. lib. 6.  
cap. 2. n. 3. & ipse illis consentit cap. 3.  
n. 1. Sed est contra Decretum Cle-

mentis VIII. *sup. n. 245.* relatum, quo prohibetur, ne superiores notiā, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Leges autem dispositivas & conservativas condere est actus gubernationis externæ.

Unde etiam, seclusa omni revelatione  
adhuc illicitum puto, ut superior regulis  
ob peccatum subdit, ex sola Confessione  
notum, sine ejus licentia jubeat fore  
obstrui, sibi visiter locum delicti, vel  
alia similia faciat, de quibus *sup. n. 250.*  
quia talia ad gubernationem externam  
spectant. Neque dicas cum Tamb. de  
*conf. lib. 5. cap. 6. §. 2. n. 9.* Decretum Cle-  
mentinum intelligi tantum de gube-  
natione personarum, & quidem singularum;  
adeoque non de dispositione rerum,  
nec de gubernatione communis per  
leges. Nam Suar. Tan. Lugo. Dicast. &  
alii unanimiter volunt, Decretum Ponti-  
ficii, quia generaliter loquitur, esse etiam  
generaliter, & sine ulla limitatione intelli-  
gendum.

255. VI. Itaque universim illicitum est propter peccatum ex sola Confessio-  
ne notum facere aut agere quidquam,  
quod penitenti incommodum aliquod  
aut molestiam creare potest; quamvis  
cum tali colore & praetextu fiant, ut nul-  
lum subsit revelandi sigilli periculum, &  
ita clam atque occulte, ut nemo adver-  
tere possit. Ratio constat ex dictis *sup.*  
n. 244. & seq. quia si fideles sciant, in  
ipsorum incommodum posse Confessio-  
rium aliquando licet uti notitiâ Confes-  
sionis extra eam, redditur hoc ipso Sa-  
cerdantum Pœnitentiae ipsis odiosum ab  
eoque valde absterrentur, ergo sigillum,  
quod